

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Ioann. Heinr. Michaelis, SS. Theol. D. Eivsdemqve Et
Graec. Ac OO. Lingg. In Academia Fridericiana Prof. Pvbl.
Ord. Et Seminarii Theol. Directoris, ...**

Michaelis, Johann Heinrich

Halae Magdebvrgicae, MDCCXXXV.

VD18 13058347

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-202682](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-202682)

Præfatio

24



Verlagsbibliothek
der
Buchhandlung des Waisenhauses
in
Halle (Saale).



→ Segründet 1698. ←

1324

ZK

JOHANN HEINRICH MICHAELIS,
BIBLIOTHECARIUS ET CANTOR IN DRESDEN
LIBRARIUS UNIVERSITATIS PROTECTORII
PROMOTUS IN THEOLOGIA

XII MINORES
PROPHETAS
ET
MOISEAM
PRÆATIO

AD VITAM EXIMIORE PULCHRA
SIVE PLENA

PRÆFATIO
INVENIENS

IOANN. HEINR. MICHAELIS,
SS. THEOL. D. EIVSDEMQUE ET GRAEC. AC OO. LINGG.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA PROF. PVBL. ORD,
ET SEMINARII THEOL. DIRECTORIS,

IN
XII MINORES
PROPHETAS
ET
HOSEAM
PRAEFATIO,
AD VSVM AVDITORII PVBLICI
SEORSIM RECUSA.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI
MDCCLXXXV.



§. I.

XII. Pro-
phetæ dicti
minores

Ante &
post capti-
uitatem
missi ad
Israelitas;
Iudæos;
Gentes.

Ordo seu
ætas.

Proprie-
tates

Sacrum hoc volumen, quod B. c. D. nunc explicandum suscipimus, monumenta complectitur XII. *Prophetarum*: qui, quod minora sunt ipsorum opera, ideoque dudum in vnum librum collecta, *minores* vocari solent; quemadmodum ab initio *Prefationis in Iesaiam* iam monuimus. Nam si cetera spectes, nec sententiarum grauitate, nec maiestate verborum, aut vlla alia re illis concedunt, quos *maiores* vocamus.

§. II. Ex iisdem plerique *ante Assyriacam & Babylonicam captiuitatem* floruerunt. Aetate nimirum Vzziae, Iothami, Ahazi & Hiskiae *Hoseas & Amos* X. tribubus seu regno Israelitico potissimum; Iudæis vero circa idem tempus *Joel & Michaas* cum *Iesaiâ*, & porro sub Manasse aut Iosia *Habakkuk*, tandemque sub eodem Iosia *Zephania*, prædicarunt. Gentibus vero, & quidem Nineuitis, *Ionas* circa tempora Vzziae, & contra eosdem *Nabum*, *Hiskiae*, vel *Manassis* ætate; contra Idumæos *Obadias*, & contra Babylonios *Habakkuk*, vaticinati sunt. Post solutam autem Babylonicam captiuitatem reduci populo *Haggæus & Zacharias* octodecim annis post impetratam libertatem, tandem etiam *Malachias*, extremis forte annis Artaxerxis I. seu Longimani (vid. *VITRINGÆ typum doctr. Propb. p. 42.*) prophetarunt. Idque ea temporis serie, quam partim titulus indicat & inscriptio librorum, partim ordo, quo se inuicem in hoc Volumine ab antiquo tempore excipiunt. Quanquam de omnium, *Ioelis* præsertim & *Obadiæ* ætate, res adeo expediri nondum sit, ut *illum* veteres Hebræi sub Ioramo filio Iosaphati, & Elisæo *σὺν ἑσπερίῳ*, alii Ieremiæ cœuum vixisse, existiment; hunc vero ad Ieremiæ tempora plerique referant; de quibus suo loco dicemus. a)

§. III. Habent vero singuli, ab Hosea vsque ad Malachiam, suas *proprietates*,

a) Aetatis eorum si babeatur ratio, sic digerendi videntur: *Ionas, Joel, Amos, Hosea, Iesaiâ, Micha, Obadiâ, Nabum, Ieremia, Habakkuk, Zephania, Daniel, Ezechiel, Haggai, Zacharia, Malachia*; inquit *VITRINGA* in *typo doctr. propb. p. 35.* Quod tamen per omnia nondum probatum putamus.

vates, ut quisque peritus lector cum B. HIERONYMO in *Præf. ad Hoseam* & difficul-
T. III. p. m. 29. facile obseruabit: adeoque crebra lectione ac repetitione tates Hoseæ.
opus erit, si quis de stilo ac mente ipsorum solide voluerit iudicare. Atque Admini-
ut ad eum, qui primus inter hos, ac Esaïæ, Amozî & Michæ coætaneus est, cula:
Hoseam nimirum, veniamus, concisus ille admodum est, & quasi per sen-
tentias aut ænigmata loquens, ideoque sensibus profundus, & breui allusio-
ne ac crebris idiotismis in dictione sua sæpe difficilis. Vnde HIERONYMVS
in *Pœmio suo ad Pamachium* scribit: *Si in explanationibus omnium Preces;*
Prophetarum sancti Spiritus indigemus aduentu, ut cuius instinctu scripti
sunt, illius reuelatione pandantur- quanto magis in explanatione Osee Pro-
pheta orandus est Dominus, & cum Petro dicendum: Ediffere nobis para-
bolam istam. Præsertim cum obscuritatem voluminis in fine testetur ipse,
qui scripsit: Quis sapiens, & intelliget ista; intelligens, & cognoscet ea?
Bene tamen idem Hieronymus statim addit: *Quod non pro impossibili, sed*
pro difficili debemus accipere &c. Conf. not. c. XIV, 10. In obscuris
namque lucem præfert penitior regni Israëliti & Iudaici *historia*, politiæ Historia;
& Ecclesiæ vtriusque status, ac totius *Scripturæ*, ceterorumque Prophe- Paralle-
tarum illius temporis *concentus*, quem ideo in notis nostris diligenter allega- lismus;
mus. Nec defunt etiam *Interpretes*, qui sensum vaticiniorum indagare & Interpretes.
luculentius euoluere studuerunt. Ita, ut Hebræos & veteres taceamus, ex
nostratibus, qui *Hoseam* illustrarunt, in primis sunt LVTHERVS & BRENTIVS,
post illos autem TARNOVIUS & SCHMIDIVS, quem & hic præ ceteris confere-
mus. Breuis & succinctus est B. HENR. VRSINI labor in *Hoseam*, laude ta-
men sua non priuandus. Luculentissimum vero & satis diffusum commen-
tarium in *Hoseam* lingua Anglicana edidit EDVARDVS POCOKIVS Oxonii 1685.
in fol. qui tamen rarius apud nos reperitur, nec Latina versione donatus
est, ut cum *Commentario* eius in *Ioel* factum est Lipsiæ 1695. in 4to.
Sed neque instituti nostri breuitas permisit, ut plures Interpretum senten-
tias hic fusius exhiberemus. Rerum tamen nexum, quem nonnunquam
heic æque, ac in Salomonis Prouerbiis, frustra inuestigari censuit doctissi-
mus IOANNES MARKIVS (vid. *Acta Erudit. Lips.* T. III. suppl. Sect. VII.
p. 323. seqq.) vel ex nostra, vel ex aliorum obseruatione indicauimus; no-
straque omnia harmonia vel parallelismo Scripturæ confirmauimus.

§. IV. Ceterum *occafio* harum concionum *Hoseæ* & reliquis hisce *Occasio:*
Prophetis in Israël fuit, quod, cum sub Ierobeamo II. (qui viuentem Vzzia, securitas
pluribus adhuc annis regnauit) res Israelitarum iterum maxime florerent Israelita-
diuina misericordia Hof. II, 10. 15. c. IV, 16. c. X, 1. 2 Reg. XIV, 25. &c. rum ex re-
illi in peccatis sibi blandirentur, Deumque gratiosissimum putarent (cf. bus secun-
dis;
Hof.

Hof. II, 18. c. IV, 15. c. V, 4. 5. c. VII, 2. 10.) etsi dudum abiectis diuinis cultibus Hof. IV, 10. quos per Moſen ſeruum ſuum ipſis, ad exercendam fidem in promiſſum ſemen Abrahæ, præſcripſerat, noua ſacra inſtituerant impietas in
cultu
1 Reg. XII, 28. 32. immo cultus verbo Dei ſeueriſſime prohibitos. cf. Hof. I, 2. c. II, 4. ſeqq. c. IV, 12. 13. 14. 17. c. V, 3. 7. c. VIII, 1. 2. &c.
& vita: Adeoque quo maioribus Dei beneficiis fruebantur, eo ſubinde deteriores fiebant Hof. I, 10. c. IV, 7. c. XIII, 6. quemadmodum beſtiæ, ſi quando delicatiori pabulo ſaginantur, non tractabilioreſ, ſed ferocioreſ redduntur. vid. Hof. IV, 16. coll. Deut. XXXII, 15. Non ſolum enim, vt maiores ipſorum Exod. XXXII, 1. 4. ex Ierobeami I. inſtituto *Iehouam ſub ſedo vitulorum ſymbolo coli* volebant; ſed etiam ſub impio Rege Ahabo, arrogantis & peſſimæ ipſius vxoris Iezabelis inſtinctu, *Baaliticum cultum* publice & ſolemniter receperunt, 1 Reg. XVI, 30. 31. occiſis, qui nefario inſtituto contradicere audebant. Hinc namque cædes illa Prophetarum & ſeruorum Domini, 1 Reg. XVIII, 4. 13. Hinc lacrimæ ac querulæ voces Eliæ, diuino zelo armati. 1 Reg. XIX, 10. Ac licet poſtea cum familia Ahabi etiam cultus ille Baaliticus per nouum Regem *Iehu* extinctus videretur; tamen quia nec ipſe Deo ſincere adhærebat, ſed propter intereſſe politicum (vt loqui ſolemus) cultum Iehouæ ſub vitulis (rem prorfus deteſtandam Pl. CVI, 19. 20.) retinebat: ideo paullatim alterum illud malum etiam recrudit, & horrendo ſyncretiſmo cum Iehouah etiam *Baal, Moloch* &c. priuatim ac publice culti fuerunt. Id quod hiſtoria reformationis ab Hiſkia ſuſceptæ, & Prophetarum elenchi paſſim teſtantur. Hinc autem extincto vero Dei cultu & pietate, quæ ex doctrina de pœnitentia & fide in Chriſtum naſci debet, non poterant non ſequi in omni vita improbitas & prorfus corrupti mores.

tam apud
Reges

§. V. *Reges* namque & *Principes* eorum, neglecto Deo & verbo ipſius, Hof. IV, 10. c. VII, 3. non quod ſui erat officii, curabant, ſed iniuſtitia & impietate, cædibus innocentum c. I, 4. c. IV, 1. 2. immodicis etiam expilationibus, in ſubditos pauperes varie pecebant. Non conſulebant enim ſaluti ciuium, ſed vt fiſcus ipſorum augeretur, & vt vitam in luxu ipſi tranſigerent. vid. Mich. III, 1. ſeqq. Vt alia vitia hic taceamus, etiam cædes illas, quibus ambitioſe & ſcelerata Ierobeami II. ſucceſſoreſ graſſati ſunt vnus in alterum, tanquam fures & latrones. Hof. VII, 1. 4. -- 7. c. VIII, 4. Nec peſſimus quidem omnium erat vltimus in Iſraele Rex *Hoſeas*, vt diſerte legimus 2 Reg. XVII, 2. attamen tam altas radices egerat ſuperſtitio & animorum obſtinatio in retinendo cultu Dei a Ierobeamo I. corrupto, vt
nulla

nulla vera & seria, saltem constans, eius emendatio vnquam fieret; vid. Hof. VIII, 1. 2. 4. 5. 6. licet non tantum a Prophetis Dei, sed tandem etiam ab Hiskia & litteris & nuntiis serio moniti essent. 2 Par. XXX, 1. Quin potius peccata peccatis per ipsa sua sacra cumularunt Hof. IV, 19. c. VIII, 11. donec Deus tandem eos a facie sua reiecit, & regnum per Assyrios euerit 2 Reg. XVII, 6. nunquam illis restituendum. Hof. I, 4. 6.

§. VI. *Sacerdotes* enim, qui verbi & voluntatis diuinæ interpretes & Sacerdotes esse debebant, non a Deo vocati, aut probati erant Hebr. V, 4. sed humano arbitrato, & auspiciis impii illius Ierobeami 1 Reg. XII, 31. (cuius damnata semper in Scriptura memoria est; vid. 1 Reg. XIV, 16. c. XV, 26. 30. c. XVI, 26. c. XXII, 53. 2 Reg. III, 3. c. X, 29. &c.) introducti, & a successoribus eius ex carnali prudentia conseruati, ministerio suo itidem non ad Deum aut Christum, animarumque salutem, sed ventrem suum respiciebant Hof. IV, 6. 8. c. VIII, 13. securi interim de statione sua, quod Principum (quorum ambitionibus ipsi inserviebant,) fauore & potentia suffulti essent Hof. VII, 3. atque in disputationibus de vera religione & Dei cultu superstitionis multitudinis suffragio prævalerent; semperque *Iehoua* nomen & cultum (quem minime deseruissent) impietati suæ callide prætexerent Hof. IV, 15. c. V, 2. c. X, 13. c. VIII, 2. cf. not. c. II, 15. 18. 1 Reg. XII, 29. 31. b) Quomodo etiam nec difficile illis erat, & Principes & plebem aduersus veræ pietatis doctores concitare eosque opprimere Hof. VI, 9. si vt hæreticos aut schismaticos, vel etiam vt seditiosos eosdem accusarent, quod iniucundior esset atrociora omnia prædicantium sermo, præsertim quum cuncta ad votum impiorum adhuc respondere viderentur. Vide luculentum eius rei exemplum Am. VII, 10. seqq. & conf. LUTHERI nostri *Præfat. in Hoseam*, it. Hof. IV, 4. Namque omni æuo non defuerunt, qui purum Dei verbum pro suspecta doctrina aut hæresi traducerent Hof. V II, 12. Et vt SCHMIDIVS ad Hof. IV, 4. p. 147. obseruat, *adeo idololatrica hypocrisis Israelitarum eos dementiauerat, vt iustos se & religiosos existimarent*, nec suam agnoscerent malitiam, sed strenue potius contradicerent, & falsi accusarent redarguentes. Et p. 149. Ita, inquit, tempore Prophetæ Ieremiæ contendebant Iudæi cum Ieremia, quasi recte fecissent, quando adoleuerunt Melechet cælorum Ier. XLIV. Et quid mirum? cum Iudæi cum Phariseis hypocritis ausi sint Christo ipsi contradicere, & su-

b) Volebant namque Ierobeam & consiliarii eius Iehouam in vitulis coli, nec religionem corruptam, sed in maiorem commoditatem redactam, ne populus cogereetur cum ingenti molestia Hierosolymam ascendere, vt SCHMIDIVS bene scribit ad Hof. VIII, 4.

suam hypocrisin defendere; itemque postea Apostolis, hodieque veris doctoribus.

quam priuatos.

§. VII. Priuati vero homines in hoc præcipue studium incumbabant, ut, quibus possent, artibus ac dolis opes aliquas corraderent, aliorumque incommodo direfcerent. vid. Hof. IV, 2. c. XII, 8. 9. Am. II, 6. seqq. &c. Quid dicemus de inuidia, scortationibus, adulteriis, aliisque vitiis? Hof. IV, 11. 13. 14. Lernam profecto omnium impietatum & scelerum in hoc populo vidisses, ut BRENTIVS scribit in *Præfat. ad hunc librum*. vid. Hof. IV, 1. 2. c. VI, 10. c. VII, 1. Si qua vero calamitas, ut *fames* & annonæ penuria Hof. VII, 14. c. VIII, 7. item horribilis ille *terra motus* Am. I, 1. qui regni concussionem minitabatur, vid. not. 2 Reg. XIV, 29 aut *hostium vis*, diuino iudicio ipsis accideret, non sincere ad Iehouam Deum suum conuerterebantur c. VII, 14-16. ut diximus; sed modo ad *Assyrios*, modo ad *Egyptios* confugiebant Hof. V, 13. c. VII, 11. c. VIII, 9. 13. c. XII, 2. & cum gentibus illis se commiscebant Hof. VII, 8. pietatis vero doctores deridebant Hof. VII, 16. vid. 2 Par. XXX, 10. perfituri aduersus expressum verbum Dei, si de humanis præfidiis sibi prospexissent Hof. V, 14. Id quod frustra esse, non crediderunt prius Hof. VII, 9. quam euentus docuit, non irritas esse Iehouæ comminationes. Hof. VI, 14. c. VII, 12. 13. 16. c. VIII, 3. 8.

Etiā in Iudæis.

§. VIII. Nec multo etiam melius in Iudæis se res habebat, ut ex historia temporum Vzzia, Iothami, Ahazi & Hiskia &c. notum est. Etsi namque in statu politico sub Vzzia & Iothamo res eorum satis constarent, neque Vzzias initio regni sui, nec Iotham, impie aut infelicitè rem sacram tractarent; torpebat tamen insecundis rebus pietatis studium, & sub Abazo in apertam idololatriam degenerabat. Cumque DEVS post mortem Ahazi de meliore principe in Hiskia Iudæis prospexisset, qui serio diuina curabat, cuius etiam auspiciis emendatio aliqua facta fuit; Principes tamen, Leuitæ quoque & Sacerdotes, item populus, non pari pietatis studio feruebant. Vnde post mortem Hiskia sub degenerare filio ipsius Manasse omnia in deterius ruebant ita, ut huic malo deinde nec ipse Manasses, tandem respiscens, nec optimus, & nulli pierate in Deum secundus Rex Iosias mederi potuerit. Quumque hic flebili casu extinctus esset, tandem cum crescente impietate, cui omnia frena filii eius laxabant, etiam diuina iudicia, & Hierosolymæ totiusque reipublicæ excidium maturata sunt; quo de vide *Præfat. in Ieremiam* §. 7. & 8.

Scopus prophetarum

§. IX. In tanta igitur Ecclesiæ & reipublicæ vtriusque corruptione, ne non moniti omnes perirent, Deus pro immensa bonitate sua, non vnum, sed

sed plures testes veritatis, & quasi totam cohortem Prophetarum, illo tem-
pore excitavit, qui serio errantes monerent, & in viam revocarent, vel in-
excusabiles saltem redderent præfractæ malos; paucis autem piorum reli-
quias promissa itemidem salute æterna per Christum sub imminentibus iu-
diciis erigerent, ac in spe & fide confirmarent. Vnde non solum cordate
integra regna adgrediuntur hi Dei homines, & libere reprehendunt erro-
res & impietatem Regum & Principum, Sacerdotum & populi, quum ma-
xime omnia florere viderentur; sed etiam bonos ac pios, ut modo dixi-
mus, promissionibus de Christo sæpius repetitis mirifice consolantur, ut
Præfat. in Esaiam ac Ieremiam iam dictum est.

§. X. Ita *Hoseas*, de quo in præsens potissimum agimus, primum duo-
bus *typis*, mox etiam *simplici sermone* Israelis turpissimam idololatriam fi-
gurat, & ob impletam peccati mensuram excidium instans toti regno, tum
Israelis, Hof. I, 4. tum Iudæ c. V, 5. illorumque reiectionem c. I, 9. c. II, 4.
præcise denunciat c. V, 6. 9. 12. seqq. Subinde tamen etiam promittit,
pereunte impia multitudo futurum, ut reliquæ saluentur, & velut e com-
muni incendio eripiantur, pluscula de Christi æterna diuinitate officio, mor-
te, victoria, beneficiis, c. I, 7. c. II, 20. seqq. c. VI, 1. seqq. gentium voca-
tione c. II, 1. regno Christi, Israelis & Iudæorum conversione c. II, 2. 18.
22. 25. c. III, 5. c. VI, 1. c. XI, 10. 11. c. XIV, 3. seqq. stilo ad Esaiæ
dictionem felicissimam accedente, vaticinatur. conf. HEIDEGGERI *Enchiri-
dion Biblicum* p. 308.

§. XI. *Septem* vero *conciones* liber illius complectitur, ut communi-
ter fere censent eruditi, duas *typicas*, & reliquas *simplices*: I. cap. 1. & 2. libri
II. c. 3. III. c. 4. IV. c. 5. 6. 7. V. c. 8. 9. 10. VI. c. 11. VII. c. 12. 13.
14. vid. CALOVII *Biblia Illustr.* GÜRTLERI *Theol. Proph.* p. 106. seqq.
aliique. Ita etiam HEIDEGGERVS in *Enchirid.* p. 310. nisi quod hic
quintam concionem finit c. 6. & *sextam* incipit c. 7. SCHMIDIVS autem
decem numerat *prophetias*: I. c. 1. 2. II. c. 3. III. c. 4. IV. c. 5. 6. V.
c. 7. VI. c. 8. VII. c. 9. 10. VIII. c. 11. IX. c. 12. 13. & X. c. 14. 2.
seqq. Alii totum librum diuidunt in conciones *legales* a c. 1. 10. &
Euangelicas, de amore Dei in Christo Filio suo c. 11. seqq. quod tamen
non omnino exclusiue, sed *κατ' ἐξοχήν* & *synecdochice* intelligendum
volunt.

§. XII. Non vno autem tempore, sed *diuerso* *Hosea* hæc *vaticinia* diuersi
edita esse, cum ex argumento singulorum penitus inspecto, tum ex hoc temporis
constat, quod ex LIGHTFOOTI in *Chronol. V. T.* p. 93. aliorumque cal-
culo vaticinandi munus ipse obiit minimum 70. vel secundum HEIDEGGE-

AVM

XV 60. annos, impletamque forte vidit prædictionum suarum veritatem in populo Israelis captiuo, cum eius regni finis in *Hiskia* (cuius initis Hoseas superuixit Hof. I, 1.) annum sextum inciderit 2 Reg. XVIII, 10. Quia tamen nec initium prophetici ipsius muneris præcise est definitum, nec etiam finis; ideo incertum est, quod alii putant, Hoseam per 90. annos prophetam egisse. vid. *URSINVS* in *Proleg.* &c. Ut etiam quæque huius libri prophetia siue caput, vel capitis pars, ad proprium annum referatur, quo tradita est, adeo fieri non posse fatetur *LIGHTFOOT* l. c. ut ne ad tempus quidem singulorum Regum, quorum c. I, 1. in titulo libri mentio fit, singula certo referri queant. Duo tamen *prima capita* in ipso concionandi principio *sub Ierobeamo & Vzzia* omnino prolata videntur, cum Propheta adhuc iuuenis esset, & de matrimonio cogitaret. conf. c. I, 2. Jer. XVI, 2. & *Præf. in Ierem.* §. 20. *Tertium* quoque & *quartum caput* Hoseæ eodem tempore edita videntur, quia c. IV, 3. mentionem facit *plaga locustarum* atque eorum, de quibus *Ioel* & *Amos* verba fecerunt. Caput autem *quintum & sextum* *LIGHTFOOTVS* p. 102. non male temporibus *Abazi* edita censet; *septimum* vero & *sequentia* ad finem vsque libri circa vltima tempora Hoseæ, vltimi Regis Israelitarum, siue *sub initium regni Hiskia*: ut suis locis dicemus. vid. *LIGHTFOOT* p. 105. & not. 2 Reg. XVII, 4.

Vfus &
auctoritas
diuina.

§. XIII. Pertinent autem eius prophetiæ non ad Israelitas solum, etsi his inprimis prædicauit, sed suo modo ad vtrumque & Israelis & Iudæ regnum, ut vel ex primo capite constat. Immo, *quæcunque in eo ac reliquis Prophetis præscripta sunt, ad nostram etiam doctrinam sunt scripta: ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Rom. XV, 4. Nec tantum in ipso titulo libri c. I, 1. ut *Verbum Dei* nobis commendatur, ideoque dudum in canonem diuinum est relatus; sed etiam in N. T. a Christo & Apostolis, tanquam fundamentum fidei, & norma credendorum, sæpius allegatur. Conf. Matth. II, 15. cum Hof. XI, 1. Matth. IX, 13. & c. XII, 7. cum Hof. VI, 6. Luc. XXIII, 30. & Apoc. VI, 16. cum Hof. X, 8. Rom. IX, 25. Hof. II, 25. Rom. IX, 26. Hof. II, 1. 1 Cor. XV, 54. 55. Hof. XIII, 14. 1 Petr. II, 10. Hof. I, 9. c. II, 1. 3. 25. add. Hebr. XIII, 15. coll. Hof. XIV, 3. Hæc præmonuisse, nunc satis sit. *Beatus est, qui legit & audit verba prophetiæ, & qui obseruat, quæ in ea scripta sunt!* Apoc. I, 3.

ma
iis
o.
m,
os
us
ur,
ad
n-
so
ur,
I,
m
em
ce-
aa-
em
ue
5.

etfi
re-
uis
ut
V,
en-
T.
lo-
X,
im
or.
ld.
a-

1324

Michaelis

13